





1796.2 30  
DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

OBLIGATIONE ALENDI LIBEROS  
ILLEGITIMOS

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV

MAGNIFICI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA PATRIA

PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS

DIE XXX MAII MDCCXCVI

PVBlice DEFENDIT

GEORGIVS IACOBVS LINDNER

REIPVBlicAE NORIMBERGENSIS ADVOCATVS

EXTRAORDINARIVS

ALTORFII

TYPIS MEYERIANIS.

DISTRICTIO ANNO 1772

DE

OBLIGATIONE ALIENI LIBEROS  
ILLEGITIMOS

AVTORITATE ET CONSENSU

MAGNIFICI IURISCONSULTORVM ORDINIS

ACADEMIAE PATAVINAE

P. O. SVMMI IN IVRE HONORIBVS

ALTI CONSEQUENTIS

GEORGIUS JACOBUS LINDNER

AVCTORE

GEORGIUS JACOBUS LINDNER

AVCTORE

AVCTORE

ALFONSI

AVCTORE



SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAE AC INCLYTAE  
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS

SENATI

SPLENDIDISSIMO

PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

DVVMVIRIS

TRIVM VIRIS

SEPTEMVIRIS

CONSVLIBVS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

GRATIOSISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS

INDVLGENTISSIMIS

FELICITATEM SEMPITERNAM  
ADMINISTRATIONEM REIPUBLICAE  
PROSPERRIMAM  
PERILLVSTRIVM FAMILIARVM  
SPLENDOREM PERENNEM  
A SVMMO NUMINE  
PIA MENTE APPRECATVS  
HOC SPECIMEN INAVGVRALE

CONSECRAT  
SIMVLQVE SE SVAQVE STVDIA  
EA QVA PAR EST PIETATE VENERATIONE  
AC OBSEQVII CVLTV

COMMENDAT  
TANTORVM NOMINVM

CVLTVR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

... ad hunc modum ...  
... de obligatione ...  
... ad hunc modum ...

§. I.

INSTITVTI RATIO.

Cum mihi specimen inaugurale scribendum sit, operam haud plane inanam me impensurum esse censeo, si de obligatione liberos alendi illegitimos observationes nonnullas colligam, quae huic quaestioni in foris nostris frequenter decidendae et ob Doctorum dissenfum admodum dubiae lucem quandam affundere possint. Quod in doctrina legibus non satis definita versatus sum, facile fieri potuit, ut inciderem in errores, quos igitur, ut lector benevolus, ipse emendet, etiam atque etiam rogo.

§. II.

DE OBLIGATIONE CIVILI AD STVPRATOREM PERTINENTE.

Stuprator ob stuprum commissum civiliter obligatur,

1.) ad praestandam satisfactionem privatam et quidem secundum praxin fori Germanici, ita, ut stupratam aut ducere aut dotare cogatur.

A 3

2.) ad



2.) ad alendum partum illegitimum. Ad id potissimum obligatur, ex ratione naturali, ideo, quia aequum est, ut is, qui aliquem procreavit, eundem alat, donec se ipse alere possit. Propterea contra stupratorem locum habet, *actio de partu agnoscendo utili* non modo, sed interdum etiam *actio negotiorum gestorum* contraria.

§. III.

DE OBLIGATIONE ALENDI LIBEROS ILLEGITIMOS PERTINENTE AD PATREM.

Obligatio alendi liberos illegitimos rationi naturali tantopere consentanea et legibus munita est, ut fere nullo modo stuprator ab hoc onere liberari possit, ne excepto quidem casu, ubi verus pater nondum certus sit, si reus diffiteri nequit, se concubuisse cum stuprata, eo tempore, a quo ipsa partus illegitimi originem ducit. Cum enim stuprator sit causa physica partus illegitimi, perspicuum est, cur ad hunc alendum ipse obligatus sit, quia nisi stuprator ad onus alendi suscipiendum cogeretur, necesse esset, ut aut partus periret, aut reipublicae oneri esset.

Iure Romano quidem liberi tantum naturales ex concubina nati, non autem spurii habebant ius a patre petendi alimenta; at postquam iure Canonico liberi e concubina nati et spurii equiparati sunt, iura liberorum naturalium in praxi ad spurios applicantur \*). Onus alendi igitur patri imponunt fora nostra non ex iure Romano, nec ex patria potestate civili, sed hac ex causa, quia is partui illegitimo ortum dedit \*\*).

\*) *Boehmer* de actionib. Sect. II. Cap. 1. §. 29. Not. e).

\*\*\*) *Carrach* annotat. ad *Boehm.* de actionib. p. 84.



§. IV.  
OBLIGATIO HAEC PATRIS EST PRINCIPALIS,  
NON SVBIDIARIA.

Omnes fere leges, quae ut onus alendi principaliter imponatur, matri iubere videntur, neutiquam de alimentis praecipunt, sed de iure hereditatis\*), quod utique liberis illegitimis solummodo in matris bonis conceditur. Illae autem leges, quibus mater ad alendum partum illegitimum obligatur, ita sunt explicandae, ut mater in subsidium tantum obstricta sit, si nempe pater ex causa legitima ab hac obligatione liberatur. Quidam putant, patrem ab obligatione alendi liberandum esse, ideo, quod pater in liberos illegitimos nullam patriam potestatem exerceat, illis non succedat, eisque nihil relinquat, neque hi liberi partem familiae constituant. Sed haec argumenta nullius sunt momenti, cum ut iam diximus, ratio huius obligationis in eo collocanda sit, quod pater est causa filii etiam illegitimi.

§. V.  
HAEC ACTIO ET A MATRE ET AB ALIIS, QVORVM  
INTEREST INSTITVI POTEST.

Non solum a matre sed et a patre vel tutore\*\*) pro ea haec actio potest institui, quilibet etiam ex populo, tanquam defensor libero-

\*) Contrarium statuit *Menke* de avo paterno diff. I. p. 16. I. D. *Lembke* de discrimine obligationis, et ab eo pendente ordine alimentorum iure sanguinis praestandorum, Goett. 1755. §. XXXVII seq.

\*\*) arg. l. 39. D. de administr. et peric. tut.

liberorum illegitimorum ad alimentā praestanda contra patrem eorum actionem influere potest \*).

§. VI.

QVID HIC ALIMENTORVM VOCABVLO  
CONTINEATVR?

Alimentorum vocabulo leges ipsae volunt contineri, ea quae esui, potui, cultui corporis interserviunt, et ad vivendum homini necessaria sunt \*\*): nihilominus tamen etiam medicamenta hac appellatione continentur \*\*\*). Haec alimenta a Doctoribus iuris nominantur naturalia (*Lebensunterhalt*) et opponuntur alimentis civilibus (*dem standesmäßigen Unterhalt*), quae pro dignitate et facultatibus patris, liberis legitimis debentur.

Alii ab hoc usu fori male recedunt, et conditionem dignitatemque patris iudicem respicere iubent in alimentis decernendis \*\*\*\*).

Ad alimenta quoque usus fori refert sumtus baptismi et puerperii \*\*\*\*\*). Neutiquam vero ad sumtus legitimisationis filii illegitimi praestandos pater invitus cogi potest. Quamquam aequitas postulet, ut ille hos sumtus, quibus nativitatis illegitimae macula abstergetur, sponte suppeditet \*\*\*\*\*).

Sub alimentis vero, quae pendente actione de partu agnoscendo decernuntur, sumtus litis comprehenduntur \*\*\*\*\*).

§. VII.

\*) Pontanus de alimentis Cap. 2. n. 22.

\*\*\*) arg. l. 22. §. 8. D. soluto matr.

\*\*\*\*) Coler de alimentis Lib. I. Cap. 1. N. 11 seq. Wernher T. I. P. III. Obs. 49.

\*\*\*\*\*) Beck de stupro p. 159. §. 20. \*\*\*\*\*) Wernher l. c.

\*\*\*\*\*) Leyßer Spec. 323. Med. 2.

## §. VII.

DE TERMINO, A QVO ONVS ALENDI  
INCIPIT.

Sunt, qui asserunt, onus alendi non statim a tempore editi partus incipere, sed a patre alendum esse filium illegitimum trimo maiorem. Id asserentes, provocant ad l. 9. C. de patr. potest. quae vero de alimentis lactis materni agit et ex eo erit explicanda, quod feminae Romanae liberos ante triennium a mamma depellere non solebant. Sed cum hoc a nostris moribus alienum sit, (et obligatio haec) statim a tempore partus editi onus alendi incipit, si is alimentis eget\*), cum iam curator ventris alimenta mulieri statuere debet, — quia videntur, quae ita praestantur, ipsi praestari, *qui in utero est* \*\*).

Si mater infantis non habeat, unde vivat, nec lactare infantem possit, illi quoque a stupratore succurrendum esse quidam volunt, ne ex inopia matris infans lacte destituatur\*\*\*).

## §. VIII.

DE TERMINO, AD QVEM ALIMENTA SVNT  
PRAESTANDA.

Iure communi iudicis arbitrio relictum est, definire, ad quamnam infantis aetatem alimenta sint praestanda. Vfu communi fori aliment-

\*) *Carpov* Prax. For. P. III. Conf. 27. Def. 5. *Stryk* Uf. Mod. Pand. Lib. XXV. Tit. III. §. 4. Lib. XLVIII. Tit. V. §. 23. *Beck* de stupro p. 204. *Werrher* T. II. P. VI. Obf. 396.

\*\*) l. 5. D. de ventr. in poss. mitt.

\*\*\*) *Richter* Decif. 88. N. 32. *Coler* de aliment. Lib. I. Cap. 6. N. 4.

alimenta liberis illegitimis tamdiu sunt praestanda, quamdiu illi se ipsos exhibere non possunt. Pueri igitur alantur necesse erit, donec opificio vel arte, et puellae, donec ancillarum vicibus fungi et operis suis alimenta sibi acquirere possint \*). Si autem filius illegitimus ob adversam valetudinem vel aliam causam se ipse sustentare nequit, pater per totam eius vitam ad alimenta praebenda obligatus est.

Ab hoc fori communi usu, nonnulla iura Germaniae particularia et Doctorum praesertim Saxoniorum opiniones recedunt. Iure Marchico decimus actatis annus hoc onus removet \*\*).

Ordinatio politiae ducatus Magdeburgici \*\*\*) anno decimo quinto illud finiendum esse iubet. Ius provinciale Hohenloicum \*\*\*\*) annum duodecimum terminum alimentorum praebendorum statuit. Ex testimonio Iureconsultorum Saxoniorum alimenta ad annum duodecimum completum praestanda sunt \*\*\*\*\*).

Statuta urbis imperialis Mühlhusiae ita de hac re disposuerunt: *Würden auch sonst ebrliche und unbescholtene Jungfrauen oder Wittiben mit unordentlichem Beyßblaff oder Beschwängerung verunehret, so sollen beyde solcher unziemlichen Beywobnung schuldige Personen mit Gefängnis, — bestraffet werden, doch wollen Wir biebey vorbehalten, was (werm in diesen und dergleichen Fällen und Mißbandlungen befindenden Umständen nach die Eheversprechung vorgeschützt, und notdürftig erwiesen, ingleichen, da in Entstehung dessen das Kind*

zu

\*) Beck de stupro p. 206.

\*\*) Corp. constit. March. P. VI. p. 194.

\*\*\*) Cap. 69. §. 1.

\*\*\*\*) P. I. Tit. VII. §. 2.

\*\*\*\*\*) Finkelthaus Observ. 102. N. 19. 20.

Stryk Ut. Mod. Pand. Lib. XLVIII.

Tit. V. §. 23.

zu ernähren, bis es sein Brod selbst verdienen kann, gefu-  
chet worden) zu urtheilen und auszusprechen sey \*).

## §. IX.

## DE ALIMENTORVM QVANTITATE.

Si mater ipsa partus sui educationem suscipit, quantitas ali-  
mentorum est determinanda: quam interdum leges particulares,  
statuta aut usus fori definiunt.

Ordinatio politica ducatus Magdeburgici \*\*) pro diversitate  
ordinis personarum quantitatem alimentorum ita definit: *Bey Ade-  
lichen mit 50, bey Bürgerlichen mit 25 bis 30, bey den Bauern aber  
mit 8 bis 10 Thalern.*

Statuta civitatis imperialis Suevofurtenfis \*\*\*) quantitatem ali-  
mentorum pro aetatis ratione ita definiunt: *Die Alimenta selbsten  
aber werden biesigen Gebrauch nach, ordinaire also bestimmt, das der  
Schwängerer dem Kind für das erste Jahr zwey Gulden, für das zwey-  
te drey Gulden, und also alle Jahr einen Gulden folglich mehr, bis in  
das zwölfte Jahr eines Mädchens, und bis in das vierzehende Jahr  
eines Knäbleins beydes inclusive geben, und jedes Jahr voraus zahlen,  
darneben der Geschwächten drey bis fünf Gulden, auch nach dem Stand,  
noch ein mehrers in das Kind-Bett reichen mus.*

In terris Boruffico-Culmbaccensibus, stuprator 20 florenos Fran-  
conicos alimentorum loco ad aerarium ergastuli solvere debet, ex  
quibus infans annuatim duos florenos a iudice, qui de stupro co-  
gnovit, accipit \*\*\*\*).

B 2

Alimen-

\*) Lib. V. Art. XXIII. n. 3. p. 548.

\*\*) Cap. 69. §. I.

\*\*\*) p. 174.

\*\*\*\*) I. L. Heinrichmayer diff. de iuribus et consuetudinibus forensibus circa stuprum  
et fornicationes. §. 32.

Alimentorum loco vilioribus quotannis 12 florenos, honestioribus 20, aut ad summum 30 florenos adiudicari, Icti testantur\*). Alii vero vilioribus 8, 12, 14 Thaleros adiudicant\*\*). Alii 10—12 thaleros seu florenos\*\*\*).

Gemellis illegitimis duplicia alimenta sine ulla dubitatione debentur.

Si alimentorum quantitas legibus aut usu fori non est definita, quantitas pecuniae pro alimentis solvendae, arbitrio iudicis est determinanda, qui respicere debet conditionem matris et statum bonorum patris, minime vero conditionem patris personalem\*\*\*\*).

#### §. X.

PATRI, IVS FILIVM SVVM ILLEGITIMVM APVD SE  
ALENDI ET EDVCANDI, NON EST  
DENEGANDVM.

Si pater ipse infantem illegitimum, qui a matre non amplius nascitur, vult alere, stuprata non potest exigere pecuniam alimentorum loco solvendam. Qui enim suo sumtu ad alendum infantem tenetur, ei etiam educatio non est deneganda\*\*\*\*\*).

Si satisfacere vult stuprator obligationi suae, et paratus est alimenta infanti praebere: non licet exigere ab eo, ut sumtus alimentorum matri praestet, et huic educationem relinquat, nisi iusta causa adfit, de qua iudicis prudentis arbitrio statui potest: veluti

\*) Püttmanni Elementa iuris criminalis. §. 587.

\*\*) Richter Decif. 88. N. 36.

\*\*\*) Schmidt Comment, über die Klagen T. II. p. 161.

\*\*\*\*) arg. l. 5. §. 19. D. de agn. vel alend. lib. Beck de stupro p. 209.

\*\*\*\*\*) Berger Occ. Iur. p. 613. Strjk Ur. Mod. Pand. Lib. XLVIII, Tit. V. §. 27.

veluti si pater partum agnoscere noluit, sed invitus ad illum agnoscendum alendumque est condemnatus \*), aut si pater sit homo, a quo mater metuere potest, ne ille aliquid in infantis perniciem suscipiat, vel curam et educationem infantis plane negligat \*\*).

Idemque ius ad heredes stupratoris pertinere opinor, cum eadem ratio id suadere videatur.

### §. XI.

#### DE FVNDAMENTO ACTIONIS, DE PARTV AGNOSCENDO VTILIS PROBANDO.

Fundamentum huius actionis, est paternitas \*\*\*), quae igitur probanda est, si stuprator ad onus alendi suscipiendum, cogi velit. Deduci autem potest haec probatio non solum ex confessione paternitatis, sed etiam ex confessione stupri, licet negata sit paternitas: nam puellae patrem nominanti, tamdiu fides habetur, quamdiu a negante contrarium nondum probatum sit, cum ex stupro commissio paternitas tamdiu praesumatur, donec probetur contrarium. Praesumptio itaque haec actricem ab omni onere probandi liberat, atque illud in reum devolvit.

### §. XII.

#### ONVS ALENDI INCVMBIT ETIAM ILLI, QVI PATER ESSE PRAESVMITVR.

Si quis stuprum a se commissum esse confiteatur etsi neget paternitatem \*\*\*\*) tamdiu donec probaverit, se non esse patrem filii

B 3

illegi-

\*) *Leyser* Medit. ad Pand. Vol. XII, p. 107. 108.

\*\*) *Hommellii* Rhapsod. Obf. 4. 16.

\*\*\*) *Cap. 1. X. de adulteriis.*

\*\*\*\*) *Hommellii* Rhapsod. Obf. 569.

illegitimi \*), ex sententia iudicis cogitur onus alendi suscipere. Haec autem sententia est interimistica. Et ne hanc interimisticam quidem sententiam iudex sine causae cognitione ferre potest, nisi cum recta ratione et acqutate pugnare velit \*\*).

Quae de alimentis praestandis sententia lata, simul etiam hoc habet privilegium, ut adversus eam ne quidem appellationi cum effectu suspensivo locus sit, si reus ad illam refugere velit, ne partus innocens durante lite ob alimentorum defectum pereat, vel saltem detrimenti aliquid capiat. Etsi autem, pronunciatum est, *ali oportere*, id tamen praecidium non facit veritati \*\*\*), cum haec sententia interlocutoria reo non sit impedimento, quo minus in iudicio ordinario de filiatione agat, et intra terminum definitum exceptiones, quibus liberationem ab alendi onere quaerit, proferat, praestitis lite pendente alimentis \*\*\*\*). Exceptione probata ab onere alendi absolvendus erit, atque a matre infantis ea repetere potest, quae interim alimentorum nomine erogare coactus fuit. Attamen harum exceptionum prior ab onere alendi statim liberabit reum, si pateat, ex illo concubitu, pro temporis computatione, infantem legitime nasci non potuisse \*\*\*\*\*).

Per provisionis modum alimenta spurio etiam decernuntur, siquidem stuprum commissum non confessus sit stuprator sed fugam quaesiverit, proptereaque seipsum suspectum reddiderit, in quo casu infanti ex bonis istius alimenta sunt assignanda \*\*\*\*\*).

## §. XIII.

\*) I. §. 1. et 9. D. de agn. vel alend. lib. Voet ad Pandect. Lib. XLVIII. Tit. V. §. 6. Carpe. iurispr. confist. Lib. II. Tit. 14. Def. 232.

\*\*\*) Leyser Spec. 323. Med. 3. \*\*\*) I. §. 9. D. de agnosc. vel alend. lib.

\*\*\*\*) Beck de stupro p. 214. \*\*\*\*\*) Miller ad Leyser. T. III. Obs. 578.

\*\*\*\*\*) Stryk de decreto interimistico Cap. II. n. 85.



## §. XIII.

STUPRATORI IUSIURANDVM DEFERRI POTEST,  
OB PATERNITATEM NEGATAM.

Si non solum paternitas, sed etiam concubitus ipse negatur a reo, aëtrix est, fundamentum suae actionis probare. Huius probationis causa iurisiurandi delationi locus est, quanquam adhibeatur in causa famosa. Non enim defunt exempla delationis admittæ in aliis causis huius generis, imo magis famosis \*). Quid igitur impedit, quo minus admittatur in causa stupri, in qua alio probationis genere raro uti licet?

Iudicis tamen est caute procedere in iureiurando admittendo vel iniungendo, ubi et stuprum et paternitatem reus negaverit. Personarum et rerum qualitas est inspicienda. Nec facile debet iudex admittere ad iusiurandum ab adversario delatum, personam, quam videt ad iurandum proclivem et de periurio suspectam, sed potest deferenti, qui semiplene probavit, suppletorium iusiurandum iniungere \*\*).

Nonnulli iuris interpretes statuunt, iudicem non admittere debere delationem iurisiurandi, nisi pro deferente quaedam militet probabilitas \*\*\*): sed dubito, hanc opinionem iuris communis analogiae fati congruam esse, ex qua delatio iurisiurandi, locum habere

\*) Schmidt Comment. über die Klage, T.II. p.166. Deinlein diff. de licita iurisiurandi iudicialis delatione super facto illicito. §. XIII. et XX.

\*\*) Franz Thomasi problema iuris matrimonialis, an iuramentum reo de stupro delatum acceptatum et ad iudicatum mutari possit, si aëtrix ante eius praefationem stuprum semiplene probet? Lipsi. 1746. Leyser Spec. 583. Med. 19.

\*\*\*) Schmidt l. c. p. 167.

bere potest, quamvis nec probatio praecesserit, nec probabilia argumenta fuerint prolata \*).

Ista autem opinio apprime convenit, iuris Norimbergensis sanctioni \*\*), cuius verba ita sese habent: *Es mag ain Parthey der andern den entlichen Aid anpieten und wider haimwerffen, Dergestalt, Wann ain Cläger seines Zuspruchs gar kein Beweifung noch ansehnliche vermutung für sich hat, und doch dem Beklagten den Aid anpieten wolt, So mag der Beklagt denselben Aid annemen und volziehen, oder aber nit annemen, sonder abschlagen, ist auch nit schuldig, solchen Aid dem Cläger wider haimzuwerffen \*\*\*).*

#### §. XIV.

#### OBLIGATIO ALENDI EXTINGVITVR MORTE INFANTIS.

Onus alendi liberos illegitimos morte eorum quidem extinguitur \*\*\*\*); sed ita, ut sumtus funeris erogandi sint ab eo, qui per mortem partus ab onere alendi liberatur \*\*\*\*\*). Si pro alimentis certa pecuniae summa generatim promissa et soluta est, stuprator mor-

\*) vid. ill. *Malblanc* praeceptor pie venerandus, in doctrina de iureiurando. §. LII.

\*\*) *Reform. Nor.* Tit. VII. Lex 10.

\*\*\*)) Conferas, quae ad illustrandam hanc legem patriam attulerunt: *Car. Colmar* in diff. de usu iurisiurandi iudicialis iure Norico restricto. *Altd.* 1753. I. C. *Koch* in diff. de eo, quod iustum est, circa delationem iuramenti litis deciforii tam secundum ius commune, quam secundum statuta Francofurtens. *Giff.* 1773. C. Fr. *Walch* de iurisiurandi delatione in reformatione Francofurtensis arctioribus limitibus circumscripta. *Ien.* 1787.

\*\*\*\*)) l. 8. §. 10. ff. de transact.

\*\*\*\*\*)) *Carpzov* pract. rer. crimin. Quaest. 68. N. 115. *Voet* l. c. §. 6. *Lauterbach* Colleg. pract. Lib. XLVIII. Tit. V. §. 47.

mortuo infante nil repetere potest, a funeris autem sumptibus liberatur \*).

Mater, quae infanti ex bonis propriis alimenta interim praebuit, a stupratore ad alimentorum praestationem condemnato ea, quae praebuerat, repetere potest, quamvis infans eo tempore, quo repetit, iam mortuus sit, nisi de matris donandi animo certo conflet \*\*). In hanc rem uti potest mater actione *negotiorum gestorum contraria*. Filius illegitimus ipse a patre suo praeteriti temporis alimenta repetere non potest, sed tantummodo futura.

§. XV.

ALIMENTA CESSANT ORTO CONCURSU CREDITORVM CIRCA STUPRATORIS BONA.

Si pater prolis illegitimae bonis sit lapsus, cessant alimenta, liberis illegitimis alias debita, ita quidem, ut orto concursu creditorum circa bona patris partus illegitimus loco alimentorum futurorum nihil petere possit, cum creditores ne liberos quidem debitoris legitimos alere teneantur, et nova debita ipsis invitis contrahi nequeant \*\*\*). Alimenta tamen, quae ante exortum concursum praestanda erant, exigi possunt, sed nulla in concursu praerogativa gaudent.

§. XVI.

STUPRATOR BENEFICIUM COMPETENTIAE HABET.

Beneficio competentiae gaudet stuprator, si inopia ita prematur, ut propriam vitam vix sustentare possit, quo casu a iudicis arbitrio

\*) *Berlich*. Part. V. Concl. 38. N. 47.

\*\*) *Gübneri* centuria sel. Obs. for. §. 29.

\*\*\*) *Püttmanni* Elementa iur. crimin. §. 587. Not. b).

arbitrio pendet, alimentorum quantitatem secundum stupratoris facultatem determinare, ne pater alimentorum praestatione ad incitatus redigatur. Sequitur hoc ex pietate \*), qua etiam liberi illegitimi parentibus suis ex legum praeceptis sunt obstricti \*\*). Vna est enim, inquit *Paulus*, omnibus parentibus servanda reverentia.

## §. XVII.

SI PROBATUM FVERIT, STUPRATAM IAM CVM PLVRIBVS REM HABVISSE, ONVS ALENDI CESSAT.

Si stuprator paternitatem hac ex causa negavit, quod asseruit stupratam cum pluribus rem habuisse, hoc asseritum vim exceptionis talis habet, qualis actionis de partu agnoscendo utili opponi potest, sed etiam hic asserenti incumbit probatio. Huic probationi perficiendae raro aliud remedium infervire potest, quam iurisiurandi delatio. Testibus enim solis, qui fuerunt socii stupri, credi nequit, cum turpitudinem propriam in praedictum tertii allegent. Alia igitur adminicula accedere debent, veluti ipsius stupratae confessio extrajudicialis e. g. se nescire, quem ex pluribus stupratoribus patrem partus designare velit, quae confessio, si negatur, probanda est, vel si stuprata antea sponte alium designaverit patrem et in designatione patris variaverit \*\*\*).

Licet etiam iudici, huius rei intuitu, stupratae, quae de fornicatione cum aliis suspecta est, iusiurandum purgatorium iniungere, vi cuius affirmet, se non cum pluribus rem habuisse \*\*\*\*).

Si

\*) *Bardili* Cp. 3. Membr. 7. N. 37. *Wernher* diss. de beneficio compet. Cp. 3. Th. 2. N. 84. arg. l. 4. §. 23. D. de in ius vocando. l. 5. §. 15. de agn. vel alend. lib.

\*\*) l. 6. de in ius vocando.

\*\*\* ) I. I. *Carrach* annotat. ad Boehm. doctrinam de actionibus p. 86.

\*\*\*\* ) *Carpz.* Iurispr. Consult. Lib. II. Def. 239. *Wernher* T. I. P. V. Obs. 133. *Beck* de stupro p. 428.

Si stuprata nolit praestare iuramentum purgatorium ipsi iniunctum, aut iusiurandum delatum, neque hoc referre, aut probationem pro exoneranda conscientia suscipere velit, causa cadet et onus alendi cessabit.

§. XVIII.

CVINAM ONVS ALENDI IMPONI POSSIT, SI PROBATVM FVERIT, STVPRATAM CVM PLVRIBVS REM HABVISSE?

Si stuprata re vera cum pluribus rem habuit, ideoque non constat, quis sit pater, quaeritur, in quem onus alendi sit devolvendum? *Alii* hoc casu omnibus iis, qui stuprum commissum erant confessi, onus alendi pro rata imponunt \*). Sed paternitas, quae est huius obligationis fundamentum, est indivisibilis: qua igitur ratione, legibus silentibus, divisio obligationis statui potest? \*\*) *Alii* obligationem alendi cunctis stuprum confessis in solidum iniungunt, cum sit obligatio ex facto illicito \*\*\*). Sed obligatio ad alendum non oritur ex delicto qua tali. *Aliis* placet, feminam per iusiurandum testari debere de paternitate \*\*\*\*). Sed quam lubrica res sit hoc casu iusiurandum admittere, facile patet.

Itaque maximopere mihi probatur sententia eorum, qui statuunt, partum hoc casu pro vulgo quaesito habendum esse, et matri onus alendi ob incertitudinem paternitatis incumbere \*\*\*\*).

C 2

§. XIX.

\*) *Brummemann* in comm. ad Dig. ad l. 5. D. de agnosc. vel alend. lib. n. 20. *Bardili* P. I. Membr. VII. n. 45.

\*\*) G. I. Fr. *Meißner praet. Bemerk. aus d. Criminal- und Civil-Recht*, B. I. N. 15. p. 112.

\*\*\*) *Quistorps peñl. Recht*. §. 182. \*\*\*\*) *Carpzov Iurispr. confist.* P. II. Def. 239.

\*\*\*\*) *Boehmer l. c.* Beck de stupro p. 197. *Leysler Spec.* 322. Med. 9. *Wernher T. II. P. VI. Obs.* 395. *Carpzov Iurispr. Confist.* Lib. III. Tit. 6. Def. 81. n. 10. 11.

## §. XIX.

## EXCEPTIO FORNICATIONIS.

Qui stuprum confessus paternitatem negat, oneri alendi se subtrahere nequit (§. XII.) Cum tamen partus e meretrice natus inter vulgo quaesitos referatur, quem mater ipsa alere tenetur, is quem stuprata patrem designavit, non sine effectu liberationis ab onere alendi *exceptionem fornicationis* adrici opponet, dummodo in probatione, quae ipsi incumbit, non deficiat\*).

## §. XX.

## EXCEPTIO TEMPORIS CONCVBITVS ET NATIVITATIS NON CONVENIENTIS.

Stupratae de partu illegitimo agnoscendo et alendo agenti et in paternitate se fundanti opponi potest, *exceptio temporis concubitus et nativitatis non coincidentis*. Reus scilicet concubitum quidem confitetur, sed paternitatem negat ideo quia asserit, se cum stuprata rem non habuisse eo tempore, a quo origo partus illegitimi ducenda sit, proptereaque se per rerum naturam non esse infantis editi patrem. Plurimi Iureconsultorum statuunt, dispositionem legis\*\*) circa tempus nascendi, aequè valere in liberis illegitimis ac legitimis\*\*\*); stupratorem igitur paternitatem abnegare non posse, si neque ante septimum neque post decimum mensem a tempore concubitus

\*) *Wernher* T. I. P. IV. *Observ.* 245.

\*\*) l. 12. D. de statu hom. l. 3. §. fin. D. de suis et legit.

\*\*\*) *Beck de stupro* p. 215—225. *Schmidt Comment. über die Klagen*, Th. II. p. 168. *Beiträge zur iur. Litter. in den Preuss. Staaten*. T. VII. p. 65, 66. *Quistorps Grunds. des deutsch. peinl. Rechts*, Th. I. §. 452.

cubitus commissi partus edatur, dummodo nulla subsit suspicio concubitus cum aliis eodem tempore commissi.

Sed verius est, tempus nascendi naturale, (hoc est quadraginta hebdomadam seu ducentorum octoginta dierum,) esse respiciendum, cum legis dispositio de liberis legitimis sit concepta et his solummodo faveat, ad partum illegitimum non sit applicanda \*); attamen iudex, prudenti suo arbitrio diiudicet, quid ad decidendam hanc controversiam conditio et partus et personarum conferre videatur, semperque sit memor istius Paulini \*\*): *si de liberando quaeritur, facilius sis ad liberationem, quam ad condemnationem.*

#### §. XXI.

##### EXCEPTIO IMPOTENTIAE NATURALIS.

Rarior erit exceptio impotentiae naturalis ad concubitus a reo stupratae opponenda, de partu agnoscendo agenti: vix enim continget, ut aliquis propriam imbecillitatem alleget: ceterum probatio impotentiae maximis difficultatibus est obruta.

#### §. XXII.

##### EXCEPTIO TRANSACTIONIS SUPER ALIMENTIS CUM MATRE FACTAE.

Non raro contingere solet, ut stuprata cum stupratore de satisfatione privata transigat. Quod si hoc factum sit, alimenta

C 3

tamen

\*) *Struben R. Bedenken* T.V. n. 86. P.L. *Behrmann* in commentatione de termino nascendi naturali vero filiationis et paternitatis fundamento. *Goett.* 1784. §. 9. *de Selchow* *Rechts-Fälle*, P. IV. p. 48. *Corp. Const. Culmbac.* P. II. Vol. II. p. 271. paternitatem certam statuit, si femina 29 hebdomadibus post concubitus peperit.

\*\*) l. 47. de obl. et act.

tamen ad huc peti possunt \*). Et quanquam stuprator in transactione declaraverit, se tantum pro redimenda vexa certam summam praestare velle: id tamen partui illegitimo non obest. Iura enim cum, qui super delicto cum aliquo transegit, pro confesso et convicto declarant, ac talis transactio tanquam propria confessio, quae est absolutissima probatio, accipitur \*\*). Omnino transactio prae se fert speciem confessionis \*\*\*). Sed quid, si transactionem mater vel tutor partus de ipsis alimentis diserte transegerit, et certam pecuniae summam sibi sufficere declaraverit? Cum proli illegitimae ius suum facto matris vel tutoris nequam auferri possit, irrita habenda sunt omnia talia pacta et transactiones, quibus infanti damnum inferitur \*\*\*\*).

Mortua igitur matre transigente, partus non amittit ius petendi alimenta a patre, nisi patris sui heres sit factus \*\*\*\*\*).

Imo ne quidem matre viva huiusmodi transactio partum a iure agendi repellit.

### §. XXIII.

#### EXCEPTIO RENUNCIATIONIS ALIMENTORVM A MATRE DECLARATAE.

Si mater iuri alimenta partus sui illegitimi a stupratore exigendi renunciavit, haec renunciatio infanti eius nil nocere, neque hunc

\*) Voet tit. cit. §. 6.

\*\*) *Leyser Spec. §83. Cor. 3. Bardili de factis. stupr. M. 7. N. 44. Carpz. Iurispr. Confit. L. 2. Def. 240. Berg Oec. Iur. Lib. 3. T. II. §. 4.*

\*\*\*) *Wellphal Criminalrecht*, p. 216.

\*\*\*\*) De praeteritis enim transigere licet; l. 8 C. de transact.

\*\*\*\*\*) *Boehmer Confil. et Decif. T. II. Resp. §84. n. 10. Boehmer de action. S. II. Cp. 1. §. 130. Not. g). Schmidt Comment. von den Klagen, Th. II. p. 169.*



hunc arcere potest, a iure postulandi alimenta. Mater enim renunciatione sua, infanti, tanquam tertio, conditionem iniquam afferre non potuit, quocumque etiam tempore hanc renunciationem declaraverit. Hinc stuprator, qui tempore stupri cum puella de certo pretio pepigit, non liberatur ab alimentacione \*).

§. XXIV.

PATER ALENDI ONERE NON LIBERATUR, ETIAM SI MATER SIT LOCUPLES, NEC VALEAT AGERE, DE SATISFACTIONE PRIVATA, VEL DE MATRIMONIO.

Cum matri onus partum illegitimum alendi non nisi in subsidium sit impositum, parum refert, utrum ipsa divitiis gaudeat an careat \*\*).

Neque hac alendi obligatione liberatur pater, licet obligatio dotandi vel ducendi stupratam cesset, quod ex variis causis evenire potest \*\*\*). Hac enim obligationes plane diversae sunt ab obligatione patris a sanguinis vinculo proficiscente, pariter ac favorem atque utilitatem infantis solummodo respiciente \*\*\*\*). Stuprator igitur ad alimenta praestanda obligatur, quanquam nulla matrimonii promissio praecesserit, vel femina iam ab alio fuerit vitata, vel sit meretrix, dummodo patrem certum demonstrari possit,

\*) *Bergeri Oeconom. iur.* p. 613.

\*\*) *Carptor. Iurispr. Confilt. Lib. 2. Def. 243. n. II.*

\*\*\*) Plenissimam harum causarum expositionem dedit nuper *I. I. Schmidt* in diff. de exceptionibus stupratam ad satisfactionem privatam contra stupratorem agentem repellentibus. *Altd. 1794.*

\*\*\*\*) *Voet l. c. §. 6. Wernher T. I. P. IV. Obs. 12.*

fit \*), vel stupratorem ad stuprum invitaverit, vel stuprator sit maritus aut persona, cum qua matrimonium inire non licet \*\*).

Hinc clerici beneficiati inter Catholicos etiam tenentur alimenta liberis suis illegitimis praestare, et ex bonis patrimonialibus, et ex redditibus ecclesiasticis, quin obnoxii sint censurae Pii V. in constitutione: „*Quae ordini*“ de anno 1571. in qua prohibentur, de utrisque bonis quidquam illis testamento relinquere \*\*\*).

§. XXV.

QVATENVS OBLIGATIO ALENDI PROLEM ILLEGITIMAM IN HEREDES STUPRATORIS  
TRANSEAT.

Stupratoris morte obligatio liberos illegitimos alendi non statim cessat, sed heredes eius tenentur, illis alimenta praestare ex hereditate sibi relicta \*\*\*\*).

Obligatio enim ad alendum est civilis, non autem criminalis; descendit igitur ex lege, adeoque in heredes transit, qui in omnes defuncti obligationes, etiam personales successerunt. Minime igitur dubitandum est, viduam, quae mariti sui heres est facta, condemnari posse ad alimenta infanti illegitimo a marito defuncto procreato praestanda \*\*\*\*\*).

§. XXVI.

\*) Stryk Uf. Mod. Pand. Lib. XLVIII. Tit. V. §. 29.

\*\*\*) Beck de stupro p. 189 seq.

\*\*\*\*) Rieggeri Instit. Iur. ecclesiast. P. IV. §. 517.

\*\*\*\*\*) *Quistorp Grundsätze des deutsch. peinl. Rechts, Th. I. §. 482.* ibique allegati scriptores. Idem in *Beytrag, Th. I. n. 5.*

\*\*\*\*\*) *Beyträge zur jurist. Litter. in den Preuss. Staaten, P. II. p. 108.*

§. XXVI.  
IN SVBSIDIVM MATER AD ALIMENTA OBLIGA-  
TVR, PATRE DEFICIENTE.

Si a stupratore proli illegitimae alimenta praestari non possunt, cum ipse non habeat unde vivat, vel in fugam se dederit, vel mortuus sit nullis bonis relictis, onus alendi in subsidium matri incumbit, neququam vero avo paterno gradu, cui illegitimi partus mater et in successione praefertur, si liberi postea aliquid acquirant, nec hodie pro filiafamilias habetur, uti legibus Romanis \*).

Neque illis Glossatoribus et Iurisconsultis assentiri possum, qui eo casu, quo pater onus alendi in se suscipere nequit, avo paterno id, licet mater non sit inops, imponunt\*\*), ita ut vel de portione hereditaria, quam filius stuprator sperare potest, necessaria nepoti spurio subministrantur, vel avus nepotem illegitimum iure avitatis proprio alat.

Argumenta ex iure civili, quibus haec opinio suffulcitur, tantum de liberis legitimis sunt accipienda, neque applicanda spurrii hoc iure, quo nec patrem nec avum habere creduntur\*\*\*).

Viventis enim non datur legitima, atque ex filii legitima, nepoti illegitimo nulla alimenta sunt praestanda.

Neque

\*) l. 5. §. 2. l. 8. D. de agnosc. vel alend. lib.

\*\*) Coler de alimentis Cp. I. p. 8. n. 12. *Carpov* Jurispr. Constit. Lib. II. Def. 243. *Stryk* ad Brunemann. Ius Eccles. Lib. II. Cp. 18. §. 28. et in Ul. Mod. Pand. Lib. XXV. Tit. III. §. 3. *Lauterbach* Coll. Pand. Lib. XXV. T. III. §. 13. *Menken* Pand. Lib. XXV. T. III. §. 9. *Rältinger* de avo paterno ad alimenta nepoti illegitimo praestanda, obitricio, Erford. 1729.

\*\*\*) *Bochmeri* I. E. Protell. Lib. V. Tit. 16. §. 14.

Neque a filio spurio ad nepotem spurium argumentum duci debet. Praxis, vero huius opinionis ut rite probetur, vix fieri potest \*). Alimenta igitur a matre praestita ab avo paterno minime sunt restituenda, nec pendente processu adversus filium instituto, avus alere tenetur nepotem.

## §. XXVII.

DE OBLIGATIONE SVBSIDIARIA AVI PATERNI ET  
MATERNI NEPOTEM ILLEGITIMVM  
ALENDI.

Multi Iurisconsulti tribuunt utrique avo, tam paterno quam materno simul, obligationem illegitimum alendi nepotem, et patris et matris auxilio plane destitutum: quia ratio obligationis scilicet ius sanguinis, utrique est communis, et praerogativa quaedam avo paterno, si est propria haec omnia ad legitimum filium pertinent adeoque hic locum habere nequeat \*\*).

Ceterum deficiunt leges, a quibus sententia, de alendi onere ad avum paternum devolvendo aliquid roboris mutuari possit.

Alii post matrem avo materno simpliciter onus alendi imponere volunt, liberato plane avo paterno, atque in hanc rem ad ius Romanorum provocant \*\*\*).

Sed

\*) G. L. Menken de avo paterno ad alimenta nepoti illegitimo praestando non obligato. Lips. 1712. C. G. Knorre de alimentis a matre liberis praestandis. Hal. 1726. Cp. 2. §. 7. *Quistorp Beyträge, Th. I. n. 5.* Schmidts *Comm. von den Klag.* T. II. p. 165. *Walchii introductio in Controv. iur. civ. p. 70, 71.* Ed III.

\*\*) I. H. Boehmer I. E. *Protest. Lib. V. T. 16. §. 14.* et filius eius I. S. Fr. *Boehmer* ad *Carpzov. Qui. 68. Obs. 12.*

\*\*\*) *Hellfeld Iurispr. for. §. 1289. Quistorp Beyträge, Th. I. n. 5.*

Sed l. 5. §. 2. et l. 8. D. de agn. vel alend. liber. nil continent, quod huic sententiae faueat. Novella autem 117. Cap. 5. agit tantum de obligatione matris locupletis partum suum illegitimum alendi, si pater ipse non habeat, unde officio suo satisfacere queat. Id tamen negare nolo, hanc sententiam iuris analogiae et bonis moribus convenire. Denique sunt, qui avo materno onus alendi non imponunt, nisi avo paterno deficiente \*), cui quidem sententiae equidem assentire nequeo.

Ceterum onus nepotem alendi subsidiarium avus paternus non potest detrectare, si mortuo filio huius hereditas ad eum pervenit, sed in hac specie tanquam filii heres et ex bonis hereditariis, quae ad ipsum cum onere transierunt, nepotem illegitimum alere debet. Additur alia exceptio, si avus paternus indulgentia sua vel alio pacto stupro filii ansam praebuit: quo casu iustam facti sui poenam luere videtur \*\*).

### §. XXVIII.

#### AN PATRINIS ONVS ALENDI LIBEROS ILLEGITIMOS INCUMBAT?

Inter commenta vulgaria referri debet error \*\*\*) ex quo mul-  
ti opinantur, onus alendi infantem illegitimum et paterno mater-  
noque auxilio destitutum, pertinere ad illum qui in talis infantis  
baptismo susceptoris munere functus sit \*\*\*\*). Sed neutiquam disci-

D 2

plina

\*) *Carpz. Jurispr. for. P. II. Const. I. Def. 21.*

\*\*) *Quistorp Beyträge l. c.*

\*\*\*) Pugnatur pro hac opinione *Wolfaerius in Hallischen Gelehr. Anzeigen, 1783, n. 40 sq.*  
quae commentatio *den Dresdner gel. Anzeigen 1784.* etiam inserta legitur.

\*\*\*\*) *Styck Uf. Mod. Pand. Lib. XXV. Tit. III. §. 8.*

plina ecclesiastica. Protestantium, hanc obligationem patris in-  
iungit, cum ea id tantum a susceptoribus postulet, ut curam ha-  
beant, quo infantes elementis religionis Christianae imbuantur\*).

## §. XXIX.

QVO CASU FILIUS ILLEGITIMVS SVMTIBVS  
PVBLCIS SIT ALENDVS.

Si filius illegitimus omni alio subsidio destitutus est, publicis  
sumtibus erit alendus\*\*). Princeps et magistratus enim ad alen-  
dos cives egenos sunt obligati\*\*\*).

## §. XXX.

DE LIBERIS EX DAMNATO COITU NATIS ALEN-  
DIS, DIVERSAE OPINIONES IVRIS  
CIVILIS INTERPRETVM,

Supereff, ut dispiciamus, cui onus alendi liberos ex dam-  
nato coitu natos, sit imponendum, cum iuris civilis et canonici  
functiones de hac quaestione diversae inter se esse videntur.

Ex *nonnullorum*\*\*\*\*) sententia ius Romanorum non praecipit,  
ut liberis ex damnatis complexibus natis, omnino nihil praestetur,

\*) Exempli loco sint *Agenda Ecclesiae Norimbergensis*, p. 71. ubi haec admonitio ad  
susceptorem legitur: *Ich ermahne euch in Krafft der christlichen Liebe, die ihr  
iert an des Kindleins Statt bey der heiligen Tauffe gethan habt, wann es sei-  
ne Eltern. ehe dann es zum Gebrauch seiner Vernunft käme, durch Todes-  
oder andern Unfall, heraubet würdte, daß ihr es fleißig und treulich  
wvullet unterrichten und lehren lassen: die zehen Gebote, auf  
das es den Willen Gottes, und seine Sünden lerne dadurch erkennen — bis  
Gott an ihm erfüllet, wvas Er in der Tauffe angefangen hat, und das Kind-  
lein ewig selig werde.*

\*\*) *Heinrichmayer* l. c. §. 24.

\*\*\*) *Leysfr Spec.* 324. Med. 3.

\*\*\*\*) c. g. *Westenbergii* de causis obligationum diff. VIII. §. 16.

tur, sed potius vult, eos, qui nihil commiserunt, non necari alimenta necessaria illis praeberi, et quidem vel a fisco, qui bona eorum plerumque occupat, vel a parentibus, si ipsis aliquid relictum sit, vel si postea aliquid acquisiverint. *Alii* id, quod in Novella 89. Cp. ult. dicitur, ex damnato coitu natos non esse alendos a parentibus, et quidem ut hi huiusmodi liberis nulla alimenta praestare, neque liberi a parentibus illa petere possint, ita interpretantur, ut Iustinianum *ῥουέων* five parentum appellatione solos patres demonstrasse dicunt \*). Ex hac Novella deprompta est *Aubent. ex complexu Cod. de incestuos. nupt.* quae liberos ex damnato coitu natos ab omni iure a patre alimenta exigendi excludit. Qua constitutione confirmatur, Romanos his liberis illegitimis alimenta non penitus denegasse, et recte intelligi Nov. 89. Cp. 15. de patre et paterna linea. Eandem Novellam *aliis* ita explicare libet, ut liberis illegitimis ex hereditate parentum nulla debeantur alimenta, non autem vivi parentes impediantur, quo minus illos alant, equidem quoque puto, illas leges id solummodo sibi velle, ut liberi ex damnato coitu orti excludantur ab hereditate parentum \*\*).

§. XXXI.

ET IURIS CANONICI,

Sunt quidem, qui in capit. 5. X. de eo, qui duxit in matrim. obligationem alendi partum ex damnato coitu et quidem adulterio natum, non deducendam esse, iudicant. Hi statuunt, textum de decem filiis, qui post prioris legitime uxoris obitum sunt procreati, esse explicandum. Sed probabilius est, inter libe-

C 3

ros,

\*) Titius ad *Lauterb.* Obf. 793. Iac. *Voorda* Interpr. et Emend. Lib. III, Cp. 14.

\*\*) Nov. 74. Cp. f. iung. l. 5. C. de patr. potest. *Bauer* l. c. §. IV.

ros, quibus textus iuris canonici alimenta decernit, adulterinos fuisse \*).

Improbabile enim mihi videtur, decem liberos, in Cap. §. X. cit. occurrentes, quorum intuitu eorum quaestio ista proposta fuit, demum finito cum priori uxori matrimonio, cum adultera procreatos fuisse, et moechum cum adultera, vivente legitima uxore, nullos liberos procreasse, cum qua tamen finito legitimo matrimonio intra 10. annos 10. liberos procreaverit. Quod si statueremus, hos liberos finito iam legitimo matrimonio esse procreatos et postquam moechus adulteram suam uxorem duxerat, hi liberi non ex adulterio, sed ex legitimo matrimonio nati essent, adeoque Papae provisionem de horum liberorum alimentantione plane superfluam fuisse. Qua enim causa Papa impulsus fuisset, alimenta liberis ex legitimo matrimonio natis decernere, cum de eo nunquam lis moveretur, et nemo dubitare possit, liberos ex legitimo matrimonio procreatos a parentibus esse alendos. Cum autem e Cap. cit. verbis: „*Sollicitudinis tuae tamen intererit, ut uterque suis liberis secundum quod ipsis suppetunt facultates necessario subministrat*“, clare appareat, Papam his liberis etsi nefariis complexibus ortis, misericordia et aequitate impulsam alimenta decernere voluisse, ne liberi innocentes ob parentum delictum tam gravem poenam lucrent, non video rationem, ob quam contra clarum Cap. sensum affirmandum sit, liberos de quibus Cap. cit. agitur, non esse adulterinos, sed legitimos et finito priori matrimonio procreatos \*\*).

§. XXXII.

\*) Boehmer I. E. Protest. Lib. IV. Tit. 7. §. 9. et in not. ad Cap. cit.

\*\*) Huius interpretationis veritatem probe docuit I. D. Lemke in diss. de discrimine obligationis est. Goett. 1755. §. LIX. p. 51 seq.



§. XXXII.  
ET SENTENTIA IN PRAXI RECEPTA.

Vtunque textus iuris civilis et canonici interpreteris, glossatores iam iuris civilis sanctionem restrinxerunt ad alimenta civilia, ita quidem, ut ex hereditate paterna hi liberi nullum commodum capiant, alimenta autem naturalia eis haud denegentur. Vfus autem fori, argumento iuris canonici et ob aequitatem naturalem, et patri et matri necessitatem liberos adulterinos \*) et incestuosos \*\*) alendi imposuit, et parentes officio iudicis ad alimenta naturalia praestanda condemnari iussit, ne liberi innocentes parentum delictum luere debeant, aut onus alendi in rempublicam cadat. Et haec praxis fori Germanici non solum auctoritate iurisconsultorum gravissimorum munita est, sed etiam cum aequitati naturali maximo congruit \*\*\*).

§. XXXIII.  
EANDEM IVS NORIMBERGENSE ET SVEVO-  
FVRTENSE SEQVITVR.

Mitiori iuris canonici interpretationi adstipulatur etiam Ius Statutarium *Norimbergense* \*\*\*\*).

Quam-

\*) conf. Cap. 5. X. de eo qui duxit in matr.

\*\*) ob Cap. 11. X. qui filii sint legit.

\*\*\*) *Gail* Lib. II. Obs. 88. N. 44. *Carpov* Iur. for. P. III. Const. 14. Def. 13. *Coler* de alimentis Lib. I. Cp. 3. *Schiller* Prax. iuris romani Exerc. XXXVI. §. 124. *Stryk* Us Mod. Pand. Lib. XXV. Tit. III. §. 6. *Lauterb.* Coll. Pand. Lib. XXV. Tit. II. §. 16. *Berger* in *Oecon. iur.* Lib. I. Tit. III. Th. 15. n. 7. *Boehmer* Ius Eccles. Protest. Lib. IV. T. 7. §. fin. Lib. V. Tit. 16. §. 14. *I. H. Feltz* de alimentorum partus incestuosi. Arg. 1710. *E. F. Tenzel* de alimentis partui adulterino et incestuoso praestandis. Erf. 1730.

\*\*\*\*) *Reform. Norica* Tit. XXXIV. Lex IV.

Quamquam enim Reformatio Norimbergenfis liberos ex damnato coitu natos ab omni paternae et maternae hereditatis iure excludat, de alimentis tamen illis praestandis ita prospexit.

*Doch soll jnen die leibsnabrung, damit sie erzogen werden mögen, volgen und geraicht werden.*

Eadem ratione Statuta civitatis Suevofurti \*) iubent, ut pater huiusmodi partui alimenta praebet.

*Wo auch aus solchen Ehebruch und Beyſchlaf ein lebendiges Kind erzielet wurde, solle solches, rechtlicher Verordnung nach, bies es sein Brod selbst erwerben kan, von dem Thäter wie in folgendem §. 4. bemerkt ist, alimentirt und versorgt werden.*

§. XXXIV.

DE FORO, IN QVO HAEC ACTIO EST  
INSTITVENDA.

Actio de partu agnoscendo utilis *principaliter* et sine cumulatione alterius actionis institui, vel, si reus stuprum confessus est, pendente lite *provisionaliter* peti potest, ut praestatio alimentorum stupratori iungatur. Si de alimentis infanti praestandis tantum agitur, haec actio in foro seculari est instituenda. Quodsi vero haec actio coniungitur cum conditione ex moribus ad satisfactionem privatam, utraque actio in foro ecclesiastico instituenda est, quia alternative saltem ad matrimonium agitur: sed praxis saepe permittit, ut hoc etiam casu in foro seculari litem moveat stuprata \*\*).

T A N T V M.

\*) Tit. V. §. 2. p. 173.

\*\*) Schmidt Comment. von den Klagen, Th. II. p. 164.

ULB Halle

3


003 331 415



TA-06







1796.2

30

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
OBLIGATIONE ALENDI LIBEROS  
ILLEGITIMOS

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
MAGNIFICI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA PATRIA  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS  
DIE XXX MAII MDCCXCVI  
PVBLICE DEFENDIT  
GEORGIVS IACOBVS LINDNER  
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS ADVOCATVS  
EXTRAORDINARIVS

ALTORFII  
TVPIS MEYERIANIS.

